

S. TOSSO EPISCOPVS AVGVSTANVS.



SAnctus Tosso literarum & uirtutum egregius
sus cultor extitit. Accedebat etiam singularis
facundia, qua animis sui cogitata commode propo-
nere poterat. Itaque in Vualtenhouen Parrochus
constitutus fuit. Eo in loco cum optimè præcesset,
atque finitimorum concursu Euangeliū prædi-
cāret, post S. Viterbiamortem, omnium consensu
Episcopus Augustanus electus fuit. Hanc uo-
cationem pio animo suscepit, & prudentia rara ad
ministravit. Cum autem ijs in locis S. Mango habi-
taret, eum frequenter accessit, atque de rebus Ec-
clesiæ cum eo contulit, anno Christi circiter septin-
gentesimo octuagesimo quinto. Tandem cum an-
nis quindecim suam Ecclesiam optimè administrasset, terrenam uitā reliquit,
& æternam gloriam intravit. In eius locum S. Simpertus electus, ipse
uero sanctorum catalogo annumeratus fuit. Anon.
in Augustan. Episcop.